





Mosheim / Joh: L. aur: / diff. de Cireles in  
Christi, Helv. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / diff.  
de Celo Beatorum, Tübinger  
1722

Rendonij / Amb: / Theser de  
Symbolo Apostolico, jene  
1589

diff. de Deo ac tribus  
personis, jene 1589.

12

DISPUTATIO THEOLOGICA  
DE  
**INSTITUTIONE  
CATECHETICA,**

QVAM

D. T. O. M. A.

SVB MODERAMINE

**JOH. ANDREAE SCHMIDI**  
ABBATIS MARIAEVALLENSIS

S. S. THEOL. D. EJVSDEMQVE ET ANTIQQ.  
SACR. P. P. O. SVIQVE ORDINIS SENIORIS  
ATQVE H. T. DECANI

PUBLICÆ θεολογικητων συζητήσεων  
SVBMITTET


**JO. CHRISTOPH. Erdmann**  
LVNÆBURGENSIS.

D. OCTOBRIIS ANN. MDCCI.



RECUSA M DCC XXVI.





# I. N. I.

## §. I.

**I**nstitutionem catecheticam tractaturi, vocis etymo non multum immorabimur, cum nō tum sit, græcum vocabulum *κατηχησιν* & *κατηχισθεν* ortum suum trahere a *κατηχέω*, viva & clara voce instituo; unde in strictiori significatione idem denotat, quod institutio, quæ fit viva voce. *Κατηχώμενος* vero, qui instituitur aut catechizatur; *Κατηχητής* five *κατηχιζόμενος*, qui viva voce aliquem in doctrina christiana instituit. Stylo patrum ecclesiæ vox *κατηχίζειν* significat aliquem instituere facta interrogatione & responsione, quasi *κατατάξειν*. Hoc sensu etiam *κατηχέω* Luc. I, 4. Act. XVIII, 24. 25. Gal. VI, 6. videatur usurpatum fuisse.

§. 2. Evidem hæc theologiæ pars a multis non magni penditur; ejus tamen solida cognitio cuilibet christiano admodum est necessaria. Hebr. V, 12. 13. cap. VI, 1. I. Cor. III, 2. Qui enim concionatur, in tecto ædificii christianismi tantum laborat; qui vero cate-

A 2 chizationi

chizationi operam navat, illius fundamenta quasi  
struit. In primitiva ecclesia, ut ex Rom. XII, 7.  
discimus, speciale erat officium, certis personis de-  
mandatum. Hodie autem ad omnes pastores illud per-  
tinet, nisi forte ex peculiari constitutione unus atque  
alter ab hoc munere exemptus sit. Unde etiam omnes,  
qui ad ecclesiæ conservationem sanæque doctrinæ  
propagationem aliquid conferre volunt, in hoc genere  
exercitatos esse oportet, ne unam doctrinam cate-  
chismi cum altera confundant, sed quamlibet tam  
clare & distincte proponant, ut unum dogma ex alte-  
ro legitime fluere appareat.

§. 3. Hujus rei curam itaque si antistes eccle-  
siæ fideliter in se receperit, nihil a parte sui tutius,  
nihil proximo utilius, nihil Deo gratius peragere  
potest. Docet hanc necessitatem (1) mandatum DEI  
Deut. VI, 6. 7. Ios. IV, 6. 7. Joh. XXI, 15. 16. Ephef.  
VI, 4. (2) requirit hoc nimia vulgi ruditas atque i-  
gnorantia, ex qua magnum alioquin animarum pe-  
riculum metuendum est. (3) rudis plebecula tanto  
non poilet ingenio, ut proprio marte ex scriptura S.  
ea, quæ creditu factuque ad salutem sunt necessaria,  
deducere, sibique in succum & sanguinem conver-  
tere valeat, sed indiget manuductore, qui eam in-  
catechizazione ad veram DEI agnitionem, notitiam  
fidei ad salutem necessariam, manuductionem ad pie-  
tatem & verum DEI cultum ducat, eique verum  
sensem, usum, fructumque commonstrar. (4) Con-  
tinuandum etiam hoc studium eo diligentius propter  
adulitos in juventute saepe neglectos, ne in subsequen-  
tibus annis omni occasione discendi & salutem ater-  
nam

nam adipiscendi destituantur. (5) excitat & auget crebra exercitatio in auditoribus præparationem ad conciones cum fructu audiendas, ne illud etiam, quod in juventute sua didicerunt, oblivioni denuo tradant, ut tristis nullo non tempore experientia testatur. (6) accedit, quod in exercitio catechetico multa ad christianismum & communem vitam pertinentia populariter doceantur, quæ in ordinariis evangeliorum & epistolarum explicationibus tanta cum simplicitate & intelligendi facilitate haud proponuntur. (7) Conscientia etiam quemvis ad vitam æternam adspirantem ad hoc studium obligat: qui enim vult finem, vult etiam media ad finem ducentia. (8) his addi possunt egregii fructus, non in hac tantum, sed etiam in altera vita futuri. E contrario ex neglectu informationis catecheticae oritur inconstantia fidei, apostasia, heresis, imo & impietas, malitia, barbaries & Æterna Christianorum.

§. 4. His ita prælibatis, accedimus ad rem ipsam & dicimus: *Catechismus est brevis institutio, in qua fundamenta doctrinae christiane, quatuor creditu & factu ad salutem sunt necessaria, per questiones & responsiones, (tanquam utilissimam methodum docendi) explicantur.*

§. 5 Dicimus vero catechismum seu theologiam catecheticam esse brevem institutionem, ad differentiam theologiae positivæ sive dogmaticæ, quæ hæc prolixius exponit; nec non polemicae ac scholasticæ, quæ subtilitates, intermixtis etiam quæstionibus controversis aliisque, tractat, quarum multæ lèpius orationes sunt, h. e. neque directe neque indirecte ad explicationem necessarii dogmatis conducunt.

A. 3

§. 6.

§. 6. Sciendum namque est, ut cum magni nominis theologo loquamur, catechismum vel laudem vel vituperium mereri, partim ratione materiae, (quae sunt dogmata,) partim ratione formae, (quae est methodus.) Ratione materiae catechismus laudem merebitur, si (1) dogmata in illo contenta sint necessaria, (2) fundamentalia, & (3) ex scriptura S. petita. Vbi tamen observandum est, quaedam esse necessaria necessitate absoluta, quaedam hypothetica: quaedam ratione medii, quaedam ratione præcepti, quaedam ratione utriusque. Ratione formae bene se habet catechismus ille, in quo ordo observatur, & simplicissima facillimaque methodo est conscriptus, cuique nihil eorum deest, quae christianum scire oportet, nec redundat quippiam, quod citra salutis jacturam ignorari potuisset. E contrario catechismus tam ratione formae quam ratione materiae minus rete se habebit, in quo vel quaedam necessariae quæstiones sunt omisæ, vel non necessariae insertæ, vel etiam in quo captiosa methodus, ad crustandos varios errores idonea, excogitata est.

§. 7. Quando itaque quis catecheses conscribere aut docere cum animo suo constituerit, ille controversiis, & terminis philosophicis paulisper omisis, non nisi maxime necessariis inhærente debet, cogitans, te non doctos, sed juventutem rudemque plebeculam erudire, quibus hacce sua *argelia* non multum proderit. Fundamentis autem positis secundum apostolum I. Cor. III, 2. ulterius equidem progredi potest, monente eodem Ephes. IV, 13. 14. omnia tamen, quantum fieri potest, in simplicitate.

II. Cor.

II. Cor. XI, 3. it. cap. I, 12. Utrumque ad præsens nostrum institutum pertinet; utrumque etiam pro modulo ingenii considerabimus.

§. 8. Commonstrat nobis hanc articulos fidei tractandi differentiam ipse apostolus in Ep. ad Hebr. VI, 1. & seqq. quapropter, dicens, omittentes eum, qui initii Christi est, sermonem, ad perfectionem feramur, non rursum fundamentum jacientes paenitentia. &c. Quibus verbis Paulus ostendit, quanquam auditores christiani ad majorem perfectionem subinde excitandi & ducendi sint, diligenter tamen prospiciendum esse, ne sufficiens necessariorum fidei punctorum fundamentum omittatur, cui doctrina majoris perfectionis deinde superstrui possit. Ita apostolus noster cum Hebreis ad perfectionem perrexit quidem, attamen ipsum non latuit, quod Θεμέλιον, fundamentum apud eos sufficiens iactum sit, quamvis in pergendo segniores essent. Θεμέλιον, fundamentum fidei, summam loquendo, est salutaris de Christo doctrina, h. e. quomodo in Christo & per Christum homines peccatores reconciliati cum DEO æternam vitam consequantur. Ideo namque τὸ Θεμέλιον fundamentum fidei jaciendum appellatur ab apostolo: ὁ τῆς ἀρχῆς τὸ χριστὸς λόγος, sermo initii Christi, h. e. de Christo, tanquam materia sermonis. Et observatu digna imo necessaria est oppositio tacita, quam apostolus facit. Nam τὸν τῆς αρχῆς χριστὸς λόγον opponit τῷ τῷ νόμῳ λόγῳ, quem cap. II, 2. epistolæ ejusdem ad Hebr. vocat τὸν διαγγέλων λαληθέντα λόγον, ad distinctionem λόγῳ λαληθέντος δινώ. Per sermonem legis Judæi increduli salvari volebant. Sed apostolus ostendit, quod ὁ τῆς ἀρχῆς τὸ χριστὸς λόγος, sit verum.

fit verum fundamentum fidei & salutis. Sicut etiam apostolus I. Cor. III, ii. scribit: θεού λαον γάρ αὐτὸν ὁ δός δίβαρος θεῖναι παρὰ τὸ κειμένον ὃς ἐπὶ ιησοῦ ὁ χριστός, fundamentum aliud nemo potest ponere, prater hoc quod possum est, quod est JESVS Christus. Prater hoc fundamentum primarium nempe Christum apostolus in ep. ad Hebr. cap. VI, 2. 3. aliud fundamentum, & quidem doctrinæ & cognitionis innuit, nempe penitentiam, fidem, baptismum, impositionem manuum, resurrectionem mortuorum & judicium extremum. Hanc doctrinam facit aliam initii, aliam perfectionis, quam apostolus in seqq. hujus epistolæ ex sacerdotali officio Christi deducit. Est vero doctrina perfectionis eadem doctrina, circa eandem occupata materiam, nisi quod apostolus de ea uberioris, subtilius ac majori cum spiritu agat, quam ut a quovis percipi queat. Vid. B. Seb. Schmid in dictis selectis p. 396. seq. Baldum, ad h. l.

§. 9. Communiter hic distinguitur inter cognitionem sufficientem & accuratam, quibus ab aliis adhuc erudita additur. Ista a quovis christiano, illa a christiano ad perfectionem aspirante, haec vero a theologo requiritur. Sic ad sufficientem cognitionem pertinet simplex articulorum fidei notitia, praecipue ut Christum DEum ac hominem mediatorem generis humani agnoscat. Ad accuratam pertinet ejus personæ, naturarum, officii, status &c. cognitione. Ad eruditam autem referri solent, doctrina de communicatione idiomatum, & quæ inter scholasticos, item cum adversariis agitari solent, controversiae. Ita theologi communiter fatentur, patres in

V. Te-

V. Testamento tam claram & accuratam de Christo, mysterio Trinitatis, cognitionem non habuisse, quam nos hodie tempore Novi Testamenti, & nihilo tamen minus æque ac nos salvatos esse. Act. XV, ii. Par ratio est de pœnitentia aliisque doctrinæ christianæ capitibus, ubi in capite de pœnitentia adsufficientem pœnitentiæ cognitionem secundum omnes ferme catechetas requiritur (1) contritio, (2) fides, (3) fructus pœnitentiæ; quæ tamen, si partes speciales in accuratiōne cognitione illis annumerare velimus, non sufficiunt. Constat enim contritio ex tribus partibus, nempe agnitione, displicentia & tristitia propter commissa peccata, ceu id ipsum B. Joh. Musæus in tractatu de conversione optime notavit, secundum alios ex pluribus. Ad fidem etiam requiritur agnitus seu fides, quæ creditur, assensus & fiducia, ut pote sine quibus vera fides esse nequit. Ad eruditam autem cognitionem spectant, num hæc requisita rectius vocentur tres partes pœnitentiæ, seu an rectius dicatur contritio esse antecedens pœnitentiæ, fides vero esse ipsa pœnitentia, nova autem obedientia, consequens ejus? seu an rectissime omnium dicatur pœnitentia duabus constare partibus, contritione & fide, nova autem obedientia esse consequens? Nostri instituti non est, de erudita cognitione jam agere, sed de sufficienti & accurata, tanquam in eccllesia maxime necessaria.

§. 10. Diximus in paragrapho præcedente, ad sufficientem cognitionem requiri tantum simplicem articulorum fidei notitiam, præcipue ut Christum Dominum ac hominem, mediatorem generis humani agnoscamus, quod hic fusius confessionibus aliquibus

bus in N. T. a nonnullis editis probabimus. Sic memorabilis est confessio illa Petri, suo & aliorum apostolorum nomine prolata: *Tu es Christus, filius DEI viventis.* Matth. XVI, 16. Huic conformis est confessio illius hominis cœci nati, Joh. IX, 35. 38. ad quæstionem Christi: *Tunc credis in filium DEI?* respondentis: *Credo Domine.* Item Marthæ: Joh. XI, 27. *Ego credo, te esse Christum illum DEI, qui in mundum venturus erat.* Addi his potest exemplum Eunuchi. Act. IIX, 17. 18. it. Cæsariensis illius ἀστορούλανος Act. XVI, 31. latronis in cruce, Joh. XX, 40. 41. quibus hanc cognitionem suffecisse videmus, quod scilicet crediderint: JESUM Christum esse filium DEI viventis.

§. II. Porro supra citata sic stabilimus: Doctrina scripturæ vocatur *verbum fidei* Deut. XXX, 14. collato cum Rom. X, 8. quod ideo annunciatur, ut homines credant, Joh. XX, 31. Summa autem & epitome totius scripturæ S. est *JESUS Christus*, qui est finis legis Rom. X, 4. cui omnes prophetæ testimonium perhibent, Act. X, 43. Summa evangelii e contrario est: *quisquis credit in filium DEI, non peribit, sed habebit vitam eternam.* Joh. III, 16. Si ergo Christus substantia totius evangelii est, utique in ipsum credere substantia erit fidei ad salutem requisiæ. Ante omnia itaque juventuti in catechizationibus inculcandæ sunt causæ, cur Christus debuerit esse verus homo? cur verus DEVS? utpote in quibus pondus hujus cognitionis situm est. Ad accuratam autem pertinent quæstiones: quomodo te Christus a peccato, morte, inferno & diabolo redemerit? &c.

§. 12. Ex-

§. 12. Excipit quidem Rabbi Isaac ap. Wa-  
gensel in munimine fidei contra hanc nostram affer-  
tionem, confessione Petri apostoli confirmatam: re-  
sponsum apostoli Matth. XVI, 16. pugnare cum verbis  
Christi Matth. XIX, 17. Verum Christus in hoc loco  
respondet ex hypothesi Judæorum ad quæstionem de  
faciendo, non ad quæstionem de credendo, quod sine  
dubio fecisset, si ab homine christiano interrogatus  
fuisset, qui fiduciali apprehensione meriti Christi æter-  
nam beatitudinem consequitur. Propositum namque  
Christo erat ostendere juveni legis rigorem, ejusque  
implendi impossibilitatem, atque ideo dicebat illi, si  
vis salvari, præcepta serva. ( scilicet ex tua hypo-  
thesi ). Vocabatur autem hæc via legis, per quam in  
statu integritatis ad vitam æternam quis pervenisset,  
quæ in statu corruptionis non invenit locum, sed  
per viam evangelii vita æterna est obtainenda. Quod  
ipsum etiam Patres in V. T. non ignorarunt, ceu ex  
Ez. XXIX, 16. Habac. II, 4. Psalm II. v. ult. it. exem-  
pli Abrahami, Genes. XV, 6. &c. videri licet. Vid.  
pluribus B. Seb. Schmidius in præfatione tractatus de  
Bon. Oper.

§. 13. Objiciat quis secundo: Eunuchum æ-  
que ac Cæsariensem carceris custodem cum latrone  
extraordinario modo conversos fuisse, hodie autem  
id fieri ordinarie, adeoque ab his ad alios argumen-  
tari velle, non esse licitum. Sed respondemus: Mo-  
odus conversionis ipsorum equidem fuit extraordinari-  
us, media tamen fuere ordinaria, quod ipsum etiam a-  
liis fidei confessionibus probatum dedimus, quibus  
Christus & apostoli contenti fuerunt.

§. 14. Objectio III. Si etiam gratia DEI est salutis medium, perperam Christus solus fundatum salutis asseritur, atqui verum est prius. Ergo & posterius. Nos resp. limitando majorem h. m. Si etiam gratia DEI est fundamentum salutis, quatenus per fundamentum intelligitur præcise causa meritoria, perperam asseritur &c. Hac limitatione facta, negamus minorem. Nam gratia DEI Deum movet ad conferendam nobis salutem æternam, non tamen ut causa meritoria, sed ut causa προηγειδίν, sive ut causa impulsiva interna. Christi autem meritum est causa impulsiva externa sive προχειρίν salutis. Deinde salus nostra proxime ad meritum Christi, atque adeo prius & proprius, quam ad gratiam DEI refertur.

§. 15. Dicat porro quis: hæc omnia equidem bene te habere, interim tamen solam Christi cognitionem non sufficere ad vitam æternam, sed requiri etiam scientiam de gratia DEI, peccato, mysterio SS. Trinitatis, resurrectione, extremo judicio &c. quorum fidei articulorum cognitionem sine dubio Eunuchus, δεσμοφύλαξ ille Cæsariensis atque latro in cruce habuerit. Verum & hic respondemus: Unius positio non est alterius exclusio. Accedit quod determinari nequear, quo usque se cognitio horum trium confessorum extenderit. Sane si cognitio in omnibus æque accurata apud illos non adfuit, toleravit hos defectus in illis DEVS, juxta i. Thes. III, 10. Unde colligere licet, non omnes fidei defectus simpliciter damnare, sed qui cum negatione & pertinacia conjuncti sunt. Interim nullum dubium est, quin hi omnes

mnes ad minimum sufficientem, si non accuratam,  
cognitionem habuerint.

§. 16. De cetero, quando asseruimus, Christum esse substantiam totius doctrinæ & religionis christianæ, hoc ipso alia, quæ creditu ad salutem necessaria sunt, non excluduntur, multo minus negantur. Est & manet Christus in genere causarum causa maxime necessaria, interim reliquæ non excluduntur. Dicimus multo magis ceteros omnes fidei articulos in Christo, tanquam lineas in centro suo, convenire, atque catechetam cognitionem Christi præpribitis in ecclesia urgere debere.

§. 17. Lubet hanc convenientiam articuli de Christo cum reliquis doctrinæ christianæ capitibus sequentem in modum ostendere: Qui credit in Christum, illi etiam credendum est SS. Trinitatis mysterium. Quælibet enim harum personarum in opere salutis nostræ agit quod suum est. Deinde: Cujus gratia nos salvari revelatum est, is utique cognoscendus & colendus, prout ipse in verbo suo præscripsit. Sed Dei Trinarius &c. Ergo: Eodem modo se habet cum articulo de lapsu primorum parentum & derivato in nos peccato ejusque poena, nempe morte, temporali, spirituali & æterna. Rom. V, 12. I. Cor. VI, 9. 10. II. Gal. V, 19. 20. Quærenti enim, quare Christus in mundum venerit? melius responderi nequit, quam, ut peccatores salvos faceret, I. Tim. I, v. 15. Imo Johannes dicit: *hoc ipsum negantem se ipsum fallere & veritatem non esse in eo.* I. ep. I, v. 8. & 10. Unde promptum erit argumentari non solum de statu nostro peccaminoso, sed etiam de remissione peccatorum per

Christum facta. Quemcunque enim articulum Christus ideo miraculis confirmavit, ut eum sciremus & crederemus, ille utique est fundamentalis, atqui articulum de remissione peccatorum &c. Min. probatur ex Marc. cap. II, v. 10. ii. ubi Christus paralyticum sanans ad pharisaeos dixit: *ut sciatis filium hominis habere potestatem remittendi peccata, tibi dico: surge ac tolle lectum tuum, & abi.* Hic articulus de remissione peccatorum per Christum facta, nos porro ducit ad cognitionem vitæ æternæ. Nam sicut v. g. ad motum recte cognoscendum necessarium momentum adfert cognitio termini ad quem, seu illius termini, qui per motum acquiritur; ita ad recte apprehendendum meritum Christi necessarium momentum adfert articulus de vita æterna, cui per meritum Christi nos restitutos esse credimus. Ad hunc enim finem Christus venit, *ut salvum faceret quod perierat.* adde Hebr. XI, 6.

§. 18. Par ratio est articuli de resurrectione & ascensione Christi ad dextram Patris. Quod enim est terminus & complementum meriti Christi, illud utique est cognitu & creditu necessarium; Atqui praedicti articuli &c. Ergo. Major est manifesta. Si enim Christus post mortem ad vitam æternam non resurrexisset, atque in cœlos ascendisset, adhuc peccatis & morte captivi teneremur, nunquam ad vitam æternam resurrecturi. Hinc Paulus i. Cor. XV, 17. 18. inquit: *quod si Christus non resurrexit, vana est fides nostra, abhuc enim estis in peccatis vestris, ergo & qui obdormierunt, perierunt.* it. Rom. IV, 25. Christus traditus est propter peccata nostra, & resuscitatus propter justiss-

*justificationem nostram.* En hinc simul fluentem articulum de justificatione! Eodem modo se habet cum cognitione extremi judicii, ex 2. Cor. V. 10. it. de impiorum damnatione, Matth. XXV. Marc. IX. 43. In summa: quocunque vel est causa vel principium aut medium salutis potius, aut facit ad recte cognoscendum & credendum id, unde salus nostra pendet, illud cognitu & creditu ad salutem est necessarium.

§. 19. Sic etiam cognitu & creditu necessarium est, nos non propriis viribus, sed DEI gratia regenerari; lapsos non propriis viribus penitentiam agere posse, sed DEI gratia ad eam agendam excitari, hominem non posse propriis viribus in Christum credere, sed DEI dono hac fide justificante donari, atque Christum hoc donum nobis promeruisse &c. Quocunque enim est cognitu & creditu necessarium ad hoc, ut non solum salutem nostram, sed etiam omnia eo pertinentia gratiae DEI accepta referamus, illud est cognitu & creditu ad salutem necessarium; Atqui dicta dogmata & quae cum iis necessariam connexionem habent ad hoc &c. Erg.

§. 20. Sic huc etiam referimus: Christum non solum satisfecisse pro nobis passione & morte sua, sed etiam perfecta legis impletione. Quibus enim momentis meritum Christi continetur, illa creditu & cognitu ad salutem sunt necessaria. Sed his duobus momentis &c. Ergo. Minor patet: Quatenus enim meritum Christi constat perfecta legi praestita pro nobis obedientia, eatenus est activum & stricte meritorium, & eatenus nos per illud vitae aeternae restitu-

restitutos esse credimus. Quatenus autem constat passione & infiniti valoris morte , eatenus est expiatorum & satisfactorum, atque eatenus per illud a peccato , ira DEI, atque æterna damnatione nos liberatos esse statuimus. Ex quibus cunctis patet, quam egregie articuli cæteri in articulo de Christo tanquam lineæ in centro convenient, atque se invicem ut catenæ articuli excipient.

§. 21. An autem homo hæc omnia sibi firma fide applicaverit, monstrabunt ejus opera, quæ ipse Christus argumentum fidei esse voluit. Si enim firmam fiduciam in Deo collocat, atque ab eo summum suum bonum, æternam scil. salutem, expectat, Deum ex animo, proximum vero propter DEum amat, totamque vitam suam secundum ejus voluntatem diriget. Joh. XIV, 15. 21. 23. 24. it. cap. XV, 10. 14. 1. Joh. V. 3. Paucis: facienda & fugienda , quantum in hac infirmitate fieri potest, enixe observabit, quæ decalogus nos optime edocet. Requirit autem hæc facienda a nobis (1) voluntas DEI 1. Theff. IV, 7. (2) Nostra filiatio. (3) gratitudo propter beneficia accepta. (4) Similitudo cum DEO. Matth. V, 48. &c.

§. 22. Hisce nunc spectatis, accedimus ad ipsam formam catechismi, considerantes, qua potissimum methodo is tractari debeat. Ubi tot observabimus methodos, quot invenimus catechismos. Quidam ordinem B. Lutheri sequuntur, quidam ab illo receidunt. Alii a statu integritatis initium faciunt, ab eo ad statum corruptionis, restaurationem per Christum factam & futuram in altera vita glorificationem procedentes. Nostrum non est, alios hic carpere & fugillare,

fugillare, eorumque laboribus aliquid detrahere; sed nostram sententiam, salvo aliorum judicio, proferre.

§. 23. B. Lutheri vestigia prementes in duplice sunt differentia. Quidam ratione methodi, quidam ratione materiae eum sequuntur. *Ratiōne methodi* illum sequuntur, qui sex catechismi capita constituant, principium a decalogo facientes, deinde ad articulos fidei, orationem dominicam, doctrinam de sacramentis, & claves cœlorum progrediuntur. Quod ipsum B. Michael Walther, in catechismo suo, quo in terris Luneburgensis utimur, it. B. Aug. Pfeifferus in *seinem Bauerncatechismo*, observavit. *Ratione materiae* B. Lutherum sequuntur, qui, (quod ipse in catechismo suo minori fecit) omnia de verbo ad verbum ex sacra S. deponunt. Vid. Ol. Joh. Levanders catechismus biblius, quem B. Pfeifferus ex Sueccio idiomate in Germanicum transtulit.

§. 24. Nos missis aliis catechismum docendi methodis, non contemnendam esse arbitramur methodum analyticam, qua a fine ad media fit progressus. Atqui secundum hanc a doctrina vita æternæ initium erit faciendum. Quod ipsum etiam fecit B. *Gesenius in catechismo suo*, quo terra Brunsvicensis, Hildesientes, Schaumburgenses aliaque vicinæ magno cum fructu utuntur; Item B. *Kortbold in catena sua aurea*, ubi connexionem monstrat, quomodo justo ordine sit procedendum, ut unum ex altero quasi fluat. Vid. etiam B. *Gebhardus Meyer, in Theologia sua morali*. Interim si quis a mediis tractationem susceperebit, non magnopere reprehendi merebitur, siquidem sic a mediis ad finem progrediendo au-

C

ditori-

ditoribus suis doctrinam christianam æque claram & distinctam proponet.

§. 25. Qui autem cum B. Luthero initium translationis a decalogo faciunt, nostro judicio hoc ideo fecerunt, quia lex est paedagogus noster ad Christum. Gal. III. v. 10. 11. eoque sensu decalogus est numerandus inter antecedentia fidem, ut hoc ipso homo ad agnitionem peccati & consequenter ad Christum ducatur. Rom. III. 20. cap. VII. 7. Psalm. CXIX. v. 9. Utuntur namque hac distinctione theologi, ut distinguant inter fidem antecedentia, eam constituentia eamq; consequentia. Ad antecedentia fidem præter decalogi cognitionem referunt, Deum neminem, qui peccatis pertinaciter inhæret, atque illis assidue operam dat, gratia & amicitia sua dignari. Marc. XVI. 16. Joh. III, 18. 36. Hebr. XI, 6. Matth. VII, 21. 2. Corinth. V, 15. 17. Item: quæ de DEO animaque rationali &c. ex lumine rationis cognosci possunt; nec non notitiam scripturaræ S. canonicae, ex qua, quæ fidem reapse constituant, doceri & deduci debent, &c. Constituentia fidem dicunt doctrinam de Christo, ejus statu, officio &c. atque ab his fidem constituentibus initium translationis facere nonnullis quoque usitatum est. His tertio adduntur fidem consequentia, qualia sunt, quæ ex articulis ad fidem proprie facientibus tanquam corollaria elicuntur. Quo etiam pertinent omnes quæstiones annatae, v. g. utrum detur aliqua causa impulsiva prædestinationis? quomodo personæ divinæ differant ab essentia divina? in quonam confitiat formalis ratio peccati originis? quomodo anima rationalis producatur? &c. In hisce aliquid intelligere posse

posse, doctori equidem est necessarium, laico non item. Quapropter etiam supra requisivimus, (1) ut articuli sint fundamentales & momentum habeant. (2) ut sint veri & ex scriptura S. petiti.

§. 26. In his monendum: dicta scripturæ probantia integra citanda esse, prout connexionem habent cum antecedentibus & consequentibus. Non solum enim ad analogiam fidei, sed etiam textus respiendi est. Exemplum observari potest in dicto. 1. Joh. I. 7. *Sanguis JESV Christi, filii DEI, emundat nos ab omni peccato*, ubi antecedentia: *Si in luce ambulamus, quemadmodum Deus in luce est, tunc communionem invicem habemus, & sanguis &c.* a plerisque omittuntur, quod tamen non faciendum, ne quis putet, perinde esse quomodo aliquis vivat, modo per sanguinem Christi se mundari credat. Patet ergo, hominem securum atque intenebris ambulantem hoc dictum pro se allegare haud posse. Vid. Ludovicus Baili in aurea praxi pietatis cap. 13. qui idem observavit. Sic etiam in articulo de baptismo quædam occurunt. Cum enim quæritur: *Wie kan Wasser solche grosse Dinge thun?* Sic respondetur: *Wasser thut es freylich nicht ic. wie S. Paulus sagt zum Tit. am zten Capittel: Durch das Bad der Wiedergeburt und Erneuerung des H. Geistes, welchen er ausgegeben hat über uns reichlich durch unsern Heiland JESUM CHRISTUM ic.* Hic locus omnino integer citandus, si orationem perfectam constituere, & quod in quaestione continetur, evincere debet, nempe h. m. Nicht um der Werke willen, die wir gethan hatten, sondern nach seiner Barmherzigkeit macht Er uns selig durch das Bad der Wiedergeburt ic.

C 2

§. 27.

§. 27. Ad officium boni catechetae etiam referimus, ut auditores suos moneat, ut secum si non tota biblia, tamen ad minimum novum T. apportent, atque dicta evolvant eaque recitent. Quod si inter illa aliquod intellectu difficilior inveniatur, opus erit, ut ejusmodi dicti brevem analysis instituat, & cardinem totius dicti demonstret. Verum haec ad accuratam scientiam, atque adeo ad perfectiores pertinent.

§. 28. Ex quibus omnibus patet ad bonum catechetam non solum requiri prudentiam in applicando, sed etiam eruditio[n]em in proponendo & explicando. Sane cui unum horum requisitorum deest, officium boni doctoris in ecclesia impleri haut poterit. Probabimus hoc uberioris nonnullis exemplis in catechesi nostra observandis. Explicaturus namque decalogum populo, in primo praecepto statim inveniet (quod propter perfectiores probe notet) explicationem ejus a B. Lurhero adducetam secundum evangelium equidem bonam esse, attamen secundum legis rigorem ejus sensum non exhaustire. Requirit enim lex a nobis non solum amorem erga DEum super omnia, sed ex toto corde, ex rot[er]a anima & ex omnibus ejus viribus, paucis: ut nullum peccatum, imo ne quidem peccarum originis adsit, quod in statu corruptionis impossibile est. Unde colligere non difficile est, B. Lutherum non intelligere hominem simpliciter sic consideratum, sed christianum. Atqui hoc sensu de Zacharia & Elisabetha Luc. I, 6. dicitur, quod fuerint justi ambo coram DEO, incedentes in omnibus mandatis & statutis ejus irreprehensibiles. Vid. Seb. Schmidius in tractatu de bonis operibus, p. 120. 124. &c.

§. 29. Aliud

§. 29. Aliud etiam exemplum observabimus circa idem præceptum de fide & fiducia erga DEum. Evidem lex hodie non habet fidem justificantem, interim tamen comprehenditur in ea fides legalis, quæ a justificante probe distinguenda. Fides igitur accipitur duplíciter, vel legaliter, vel evangelice; seu ut opus legis & organon evangelii justificantis. Non solum evangelium præcipit, ut credamus, sed etiam lex. Pertinet enim fides ad virtutes & bona opera in primo decalogi præcepto sancta: sicut enim infidelitas est vitium contra primum præceptum, ita fides virtus. *Sine fide catena opera sunt peccata.* Rom. XIV. 23. Qui DEO diffidit, DEVM non astummat veracem, quod est peccare in legem, unde & Adami primum peccatum, quod DEum non astumabat veracem. Est tamen aliquis actus, qui in lege euidem non formaliter, attamen virtualiter præceptus est, nempe credere in Christum, & hic est evangelicus. Huc etiam perinet accurata cognitio omnium virtutum & vitiorum ad quodlibet præceptum pertinentium, sine qua decalogus debito modo explicari haud poterit; quæ proinde ex theologia morali petatur.

§. 30. His superioribus addimus locum de mysterio trinitatis, ubi termini illi: *persona, essentia, &c.* in hoc articulo passim proferuntur, quos tamen populus non percipit, quia mere sunt philosophici, nec ab omnibus uno modo accipiuntur, ut in theol. scholastica videre licet. Evidem his omnibus in institutionibus nostris catecheticis nos carere posse, certos sumus persvasi. Quid enim hi termini prosunt in hoc negotio? num etiam rem ipsam explicant? imo obfici-

rant eam vulgo potius. Et si dicendum quod res est, si mysteria omnibus artibus terminaverimus, distinxerimus, limitaverimus, restrinxerimus, apud plebeculam tamen parum hoc ipso proficiemus, nec melior & doctior inde evadet. Relinquenda ergo hæc potius theologiæ scholasticæ, de qua optime in vita judicavit B. Hildebrandus, autumans, ipsos apostolos, si hodie vixerint, hodiernam theogiam scholasticam sine peculiari revelatione vix intellecturos. Quapropter catecheta nunquam operam suam melius collocare poterit, quam si in apostolica simplicitate maneat.

§. 31. Facillima ergo methodus mysterium hoc trinitatis sine ipsis terminis proponendi nostro judicio hæc est: (1) quæratur: quis est DEus pater? Resp. est unus & æternus DEus, quemadmodum Christus ipse loquitur Joh. XVII, 3. *Hac est vita eterna, ut cognoscant te patrem esse verum Deum &c.* qui se in opere creationis specialiter manifestavit. Quæst. (2) Quis est filius DEI? Resp. est cum patre unus & æternus DEus (ita namque Paulus loquitur Rom. IX, 5. I. *Christus a patribus descendit secundum carnem, qui est DEus gloriösus super omnia in secula*) qui se in opere redēptionis singulariter manifestavit. Quæst. (3) Quis est Spiritus S.? Resp. Est cum patre & filio unus & verus Deus, (ita namque Petrus Act. V, 3, 4. inquit: *Anania, Anania, cur Satanas implevit cor tuum, ut mentireris spiritui S. non mentitus es hominibus, sed Deo.*) qui se in sanctificatione specialiter manifestavit. Quæst. (4) Num pater est etiam filius & spiritus S.? Resp. Non: pater non est filius nec spiritus S. sed ab utroque distinctus, ab æterno namq; filium suum genuit, quod scriptura neque de filio neque de

de spiritu S. unquam affirmat. Quæst. (5) Num itaque filius DEI est pater & spiritus S. ipse? Resp. Non. Filius Dei non est pater neque spiritus S., sed ab utroque distinctus. Filius DEI enim est a patre ab æterno genitus, quod scriptura neque de patre neque de spiritu S. dicit: Filius etiam Dei solus homo factus est, unde etiam solus nos passione & morte sua redemit, quod neque pater neque Spiritus S. facere potuit, quia neque pater neque Spiritus S. homo factus est. Quæst. (6) Num itaque Spiritus S. vel pater vel filius est? Resp. minime, sed ab utroque distinctus. De solo spiritu S. testatur scriptura S. quod a Patre & filio procedat, non vero hoc dicitur de patre & filio. Joh. XV. 26. Quæst. (7) Num itaque pater, filius & spiritus S. tres dii sunt? Resp. non, sed tantum unus. Credimus enim omnes in unum Deum, quemadmodum etiam Moses loquitur. Deut. VI. 4. *Audi Israet! Dominus Deus tuus, Deus unus est.* Nam Pater, filius & spiritus S. unam simplicem, æternam, infinitam & omnipresentem habent essentiam, quam filius a patre per æternam generationem, spiritus S. autem a patre & filio per æternam processionem accipiunt. Est ipsis una divina omniscientia, una sancta, benigna & justa voluntas, una omnipotentia, majestas, gloria &c. atque adeo pater, filius & spiritus S. non pro tribus diis, sed pro uno vero, omniscio, sancto, justo, omnipotente DEO, qui totum hoc universum gubernat, adorari debet.

s. 32. Atque hæc de methodo trinitatis mysterium sine terminis philosophicis proponendi. Si quis illa non delectatur, adhibeat terminos philosophicos pro lubitu. Caveat autem, ne doctrinam chri-

christianam obscurare potius quam illustrare & explicare videatur. Nayavit equidem in hac explicacione terminorum philosophicorum egregriam operam B. Seb. Schmidius in doctrina ad fidei artic. Aug. Confess. articulo 1. cap. 2. 3. 4. attamen an id, quod intenderat, hoc ipso ubique efficerit, aliorum judicio relinquimus. Brevibus: valet hic de terminis philosophicis, quod alioquin B. Lutherus de voce οὐογριος dixit: Si anima mea odit vocabulum οὐογριος, & nolim eo uti, non statim ero haereticus, modo rem teneam, quæ in concilio per scripturas definita est. Unde patet, propositionem B. Lutheri esse conditio natam, ex qua Bellarminus absolutam facere conatur. Vult nempe hoc B. Lutherus, cardinem negotii non verti in vocabulo, ab hominibus melioris explicationis ergo excogitato, sed in re ipsa; adeoque neminem hoc ipso fore haereticum, qui voce illa οὐογριος uti detrectet, quod ipsum etiam Patres Antiocheni fecerunt. Sed haec obiter.

§. 33. In capite secundo circa articulum catechismi majoris Lutheri primum observabimus, quosdam ex juventute querere, quid quovis hexaemeric die sit creatum? cuius loco si de providentia divina, materia tam necessaria & difficulti, it. de angelis bonis & malis agerent, melius sine dubio suo officio satisfacerent. In articulo secundo hujus capituli doctrina de descensu Christi ad inferos a quibusdam plane omittitur, forsan ex hac ratione, quod huic doctrinæ requisita articuli fidei stricte sic dicti deesse opinentur, quodque hoc dogma antiqua ecclesia non crediderit. Probant hoc testimonio Irenæi lib. I.

cap. 2.

cap. 2. Tertulliani in libro de virginum velamine, Originis in suo περὶ ἀρχῶν, Augustini, Ruffini & multorum aliorum, qui uno ore confitentur articulum hunc in symbolo apostolico suo tempore haut reperturn esse. Memini (quod hic ὡς ἐν παρενθέσει) me ipsum quoque apud parentem meum exemplum quoddam symboli apostolici, ipsi ab alio mutuo datum, aliquando vidisse, quod ab antiquissimo manuscripto bibliothecæ Oxoniensis descriptum erat, ubi hæc verba descendit ad inferos, plane omissa erant. Verum qui aliter sentiunt, sequentia cum B. Affelmanno in tractatu de descensu Christi ad inferos proferunt, dicentes, quam verum sit, Christum ex utero Mariæ virginis natum esse, tam verum etiam esse illum descendisse ad inferos, secundum Hos. XIII, 14. Ephes. IV. 8. 9. Ps. XVI, 10. I. Petri III, 19. Ps. LXVIII, 19. Col. II, 15. & quidem (1) respectu Christi, ut ostenderet se dominum vivorum ac mortuorum. Reges enim cum inaugurrantur, non solum palatia, sed & carceres visitant. (2) respectu inferorum, ut subjiciat sibi istos pedibus suis. I. Cor. XV, 54. 55. diabolos eludat. Col. II, v. 19. atque ita in nomine JESU se flectat omne genu. Phil. II, 9. 10. Sed hanc controversiam nostram nunc non facimus. Cæterum notamus etiam circa hunc articulum, populo a catecheta explicanda esse verba: **Von dannen er kommen wird:** ne putent hæc referri debeare ad dextram DEI, quam Christus nunquam religerus est, sed potius ad cœlos.

§. 34. In oratione dominica hoc unum præ cæteris observari meretur: descriptionem orationis plenius adduci incompletam, quod facile emendari

D posse

posse hoc modo putamus, si dicamus: Oratio est operatio spiritus S. in nobis, qua mediante animum nostrum vera fide in Christum ad DEum elevamus, atque ita (1) mala a nobis deprecamur, (2) bona pro nobis & aliis oramus, vel (3) DEum honoramus & ei gratias agimus, de quibus fusius videri potest parentis mei  
**Probe des Gebets.** cap.I. it. cap.70. p. 810. &c.

§. 35. Circa baptismum mirum alicui videri posset, illum vocari lavacrum non solum regenerationis sed & renovationis, Tit. III, 5. cum tamen dispar ratio sit utriusque. Baptismus namque semel fit, renovatio autem per totam vitam durare debet. Populo itaque inculcandum, quanquam baptismus in se non reiteretur, ejus tamen operationem, vim & frumentum per totam vitam se exserere. Inculcandum insimul, verum christianum nunquam sui baptismi oblivisci debere, sed semper sibi in memoriam revocandum quid deposuerit, quid acceperit, quid promiserit: quando hoc ipsum apud se pervolverit, spiritum S. in ipso fore efficacem, ut mala fugiat, bona e contrario sectetur.

§. 36. Doctrinam de sacramento S. cœnæ quod attinet, arbitramur eam clarissimum populo explicari proponique haut posse, quam si distinguatur inter manducationem naturalem, oralem, spiritualem & sacramentalē. Quo facto addi potest, fructum hujus sacramenti non prius percipi, quam si quis secundum I. Cor. XI, vers. 28. 29. se ipsum judicaverit, probaverit, memoriam Christi in mentem sibi revocaverit &c.

§. 37. Ad

§. 37. Ad confessionem rite peragendam non solum requiritur cognitio ejus, quod dicitur, sed ut etiam probe distinguitur inter pœnitentiam lapsorum, & pœnitentiam stantium quotidianam. Quæ distinctio ut simplicioribus nota sit multum interest, ne per errorem, quod plerique faciunt, arbitrentur, peccata contra conscientiam admissa orationem dominicam solo ore, tanquam opus operatum una atque altera vice recitamat, expiare posse. Est autem pœnitentia lapsorum eorum hominum, qui christiani facti, baptizati & in statu gratiæ constituti, peccatis, conscientiam vastantibus, gratiam divinam excutient, seque ipsos tam enormi flagitiæ ex proœrest commisso in iræ statum denuo reponunt. Pœnitentia vero quotidiana, quæ etiam stantium appellatur, est, qua fideles animo indeliberato atque ex infirmitate humana, identidem peccant motibus primo primis, prævis cogitationibus, inordinata concupiscentia, quæ tamen in actum exteruum non erumpit. &c. Jam perlapsus v. g. in adulterium, sodomitiam, furtum, homicidium &c. longe majori contritione indiger, quam homo christianus in statu gratiæ constitutus peccatum aliquod ex inadvertentia committens. Huic namque oratio dominica, & ex illa verba: *remitte nobis debita nostra*, sufficere possunt. Quod etiam D. Augustinus autumat, cum in Enchiridio ad Laurentium cap. 71. sic loquitur: *De quotidianis, brevibus levibusque peccatis, sine quibus hac vita non ducitur, quotidiana oratio (intelligit orationem dominicam) satisfacit.* Quæ catechismus de cœconomia ecclesiastica habet, ea melius explicari posse non videntur, quam

si quælibet doctrina suo loco ad decalogum a prudenti doctore referatur.

§. 38. De cætero, unum adhuc restat monendum, nempe cognitionem harum rerum omnium tam sufficientem, quam accuratam imo & eruditam nihil profuturam, si in voluntate adsit repugnantia. Hic ergo diligentia & dexteritate cæchetae opus est, ut omnem a parte sui impendat operam, ne hæc solum auribus, sed & cordibus auditorum data sint, & ad praxin in tota vita referantur. Non equidem hoc in viribus nostris situm est, sed gratia spiritus S. ad hoc requiritur, monente Apostolo 2. Corinth. III, 5. Phil. II, 13. Ephes. III, 16. Interim tamen hoc a parte cæchetae requirimus, ut absoluta hac vel illa doctrina seriam addat admonitionem ad applicanda sibi hæcce, ut adeo aculeus in animis auditorum suorum relinquatur, quæ omnia prudentia cæchetae moderanda erunt. Plura equidem hoc negotium concernentia addi possent, sed vetat illud & paginarum præscripta angustia & instituti nostri ratio. Committimus ergo DEI benedictioni hoc nostrum institutum, & petimus ab illo, ut nos in veritate sua conservet.


Verbum ejus veritas est!

Θεῷ δόξα.



ad 32.






EO.-Beg. 2002

01 A 6727



WA

Rho



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DISPV TATIO THEOLOGICA  
DE  
**INSTITVTIONE  
CATECHETICA,**

QVAM

D. T. O. M. A.

SVB MODERAMINE

**JOH. ANDREAE SCHMIDII**

ABBATIS MARIAEVALLENSIS


S. S. THEOL. D. EJVSDEMQVE ET ANTIQQ.  
SACR. P. P. O. SVIQVE ORDINIS SENIORIS  
ATQVE H. T. DECANI

PUBLICÆ θεολογίαν συζητήσαι  
SUBMITTET

**JO. CHRISTOPH. Erdmann/**

LVNÆBURGENSIS.

D. OCTOB RIS ANN. MDCCI.



RECUSA M DCC XXVI.

